

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Dissertatio Jvridica De Mvtvo Filii Familias Jam Ante Sctvm Macedonianvm Invalido

Lipsiae: Literis Andreæ Martini Schedii, [1726]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn894298720>

Druck Freier  Zugang





K. K - 1 (40.)

- Behr de dolo malo.
Bechmann de jure viacum.
Bastineller de modo venandi)
Biler de arbore molinario.
Blael de rest. in integr. minorum.
Böschel de interpretatione pactor.
Borrichius de Romæ primordio.
Brennemann de Legum inscript.
Brunings de avaria
Buder de Vitüs pecorum.
Carrach de Dispos. parentum inter lib.
Dornfeld de arbitris.
Einert de L. Cæcilia Didia.
Eisenhart de jure publ. pop. rom.
Erdtmann de recept. j. rom. in Germ.
Estor Obs. de altitudine adiūm.
--- de jure magistratus non rogati.
Faber hyst. de incestis nupt.
Fichtner de jure commentatio.
Franck ad q. ult. l. de nupt.
--- ad iurispr. Claudiï Imp.
--- de rest. in int. ex claus. gen.
Hiderici de re funeraria
Hertel ad l. 120. l. de V. S.
--- de jure glandis legendar.
Hofacher hyst. pars incestum prohibent.
Hoffmann de atra Victoriae.
--- Obs. ad Legg. Cod.
Hommel de matuo filiis. ante. l. Mac.
--- de comitibus.
Kemmerich de jure foresti
Lauhn ad l. t. c. Theod. de silentiaris.


Mascov de his qui sibi at
in testam.

19
f28

DISSERTATIO JVRIDICA
DE
MVTVO FILII FAMILIAS
JAM ANTE SCTVM MACE-
DONIANVM INVALIDO

QVAM
CONSENSV
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
PRÆSIDE
DN. FERDIN. AVGUST.
HOMMEL,
PHIL. ET V. J. D.
PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT
RESPONDENS
JOHANNES SIGISMUNDVS CHILECK.
LVSAT. LL. CVLT.
D. XV. AVG. 16 CCXXVI.

LIPSIAE
Literis ANDREÆ MARTINI SCHEDII.





F. A. Hommel d. 17. 1726.

I.



icuti Serenissimi Saxoniae legislatores in eo
semper quam plurimum occupati fuerunt,
ut nihil omnino desit, quod ad perfectam
exactamque iustitiae administrationem fa-
cere posse videatur, ita in specie aduersus
iniquos foeneratores saluberrimis ordina-
tionibus et legibus subditis suis prospexere.

Praeter generales enim Imperii constitutiones, quas de hoc
argumento preeprimis in R. I. d. a. 1577. tit. 17. §. 8. habe-
mus, iam olim Serenissimus Princeps et Elector Augustus or-
dinationibus suis d. a. 1550. et 1555. imprimis vero speciali
mandato d. a. 1583. quod postmodum Anno 1609. a Christia-
no II. repetitum deprehendimus, nequitiae usuriariorum sa-
pientissime occurrit. Idem quoque laudabiliter factum per
Iohannem Georgium I. mandato Electorali d. a. 1614. et 1625.
Denique potentissimus Rex et Elector Fridericus Augustus,
cuius auspiciatissimum regimen in nostrum aequum, quod Deo
debemus, incidit prudentissima haec Maiorum suorum de-
creta cuncta non solum repetit et innouauit per edictum ad-
versus malitiosos decoctores (Banqueroutiers) Anno 1724. d. 7.

A 2

Ian.

DE MVTVO FILII FAMILIAS

Ian. promulgatum, sed etiam quod his deesse quomodo-
cunque adhuc videretur per cit. editum nec non mandatum
d. a. 1718. et 1724. d. 21. April. suppleuit, penitusque per-
fecit.

II.

Serenissimos Saxones iam aliarum Gentium prudentes
Legislatores exemplo suo praeiuerunt. Sapientissimum So-
lonem per legem Sisachthiam et Chreocopiam cauisse tradunt,
ne ob foenus et usuras ciuium corpora necterentur, vt PLV-
TARCHVS refert *in vita Solonis*. Lycurgum omne foenus
omnesque usuras e tota Sparta exterminasse, testis est idem
PLVTARCHVS *in Agide*. Agis Lacedemoniorum Rex tanto
foeneratores odio prosequutus fertur, vt omnium horum
tabulas in foro igne cremarit i d. cit. loc. Bachorides Aegy-
ptiorum Legislator usuras sortis summam excedentes exigi
prohibebat. DIODOR. SICVL. L. II. C. 3. Cato quoque omnes
in Sicilia foeneratores expulit teste LIVIO Lib. IV. Imo ple-
raeque Gentes cum furem dupli poena afficerent, foenerato-
rem quadrupli condemnarunt, vt CATO refert *de Re rust.*

III.

Inter hos non ultimum occupant locum Legislatores
Romani, qui legibus quoque suis pessimam foeneratorum ne-
quitiam sedulo cohibuerunt, statuendo potissimum certam
legitimamque usurarum summam, quam egredi non liceret.
Ita iam XII. Tab. legibus ne quis plus quam vnciarium foenus
excereret, prohibebatur, sic enim TACITVS L. VI. Annal.
c. 6. Nam primo XII. Tab. Sanctum ne quis vnciario foeno-
re amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletiorum agi-
taretur. Haec XII. Tab. Sanctio cum aliquantis per in de-
fuetudinem abiisse videretur, posthac noua iterum Iege C.
Martio et C. Manlio Consulibus fuit restaurata. vid, LIV. L.
VII. C. 27. Deinde A. V. C. 406. sub Consulatu T. Man-

līi et C. Plautii ad semuncias vsurae redactae sunt, vt idem testatur LIV. Loc. cit. et TACIT. cit. L. VI. Annal. C. 16. Denique omnis omnino versura interdicta fuit lege Genutia A. V. C. 411. C. Marcio Rutilio et Q. Seruilio Coss. LIV. L. VII. C. 42. quae prohibitio, cum dicta lex Genutia initio ad solos Ciues Romanos pertineret, demum per Legem Semproniam ad omnes socios quoque Latinos fuit extensa. LIV. L. XXXV. C. 7. Sulpitius quoque Tribunus plebis Legem tulisse prohibetur, ne quis ordinis Senatorii vltra duo millia drachmarum aes alienum confaret, quamuis postea ipse cum moreretur contra hanc suam legem trecentas myriades aeris alieni relinqueret, referente PLUTARCHO *in vita Marci*. Non minor cura sub Imperatoribns quoque foenoris et usurarum fuit habita. Latae sunt huius argumenti leges sub Caesare et Tiberio vid. TACIT. Annal. L. V. sub Philippo vid. l. 20. C. d. Usur. potissimum vero sub Iustiniano qui inter alia l. 26. §. 1. C. de Usur. pro varia hominum conditione et lucro, quod quisque capere ex mutua pecunia possit, varie definiuit usurarum modum, aliis maiores, aliis minores, nemini tamen vltra centesimas permittens.

IV.

In specie quoque adolescentibus et filiis am. adversus foeneratorum fraudes succurrunt leges Romanae, ne mutuam pecuniam accipientes, usurarum grauitate postmodum oppressi, aereque alieno obruti patre mortuo tota defraudentur hereditate, omneque peculium malitiosis usurariis cedere aliquando cogantur. Variis hoc ipsum legibus cohibuere legislatores Romani, quamuis communiter hanc prohibitionem vnice ex Scto. Macedoniano repetere malint. Atque id ipsum est, quod huic tractationi nostrae ansam dedit, qua contra communem DD. opinionem breuiter commonstrarare animus est, impedimentum, ne qui subest patris potestati accipere

A 3

possit

possit mutuum non vnicē in ratione SCti Macedoniani esse
quaerendum, sed mutuum a filiosam. contractum iam dadum
ante illud SCtum legibus Romanis fuisse invalidum.

V.

Vt autem an mutuum filiosam. jam ante SCtum Maced.
fuerit interdictum eo rectius judicari queat, ante omnia ipsius
SCti tempora atque origines curatius paulo inuestigare institu-
ti postulat ratio. Est vero hic iucundus ALEXANDER AB
ALEXANDRO qui *Genial. dier. L. I. C. 7.* Senatuscon-
sultum nostrum non solum ipsis XII. Tab. legibus fere coae-
taneum facit, sed etiam prima eius principia ab ultima anti-
quitate vetustissimisque Solonis legibus repetit. Refert enim
se casu incidisse in pluscula legum commentaria, quae nescio
ex quo naufragio erecta nauta quispiam Romanam apportasset,
in his se inuenisse vetus quoddam Senatusconsultum, cuius
verba eadem sunt, quae nostri Senatusconsulti Macedoniani
quod in pandectis habemus. Dicit ergo hoc SCtum esse peranti-
quum et ipsis LL.XII. Tab. si non coaequale, certe proximum,
imo jam a Solone veteri lege sancitum, indeque postea
Romanam fuisse translatum. Suaue profecto somnum; Col-
legit summa cum industria leges Atticas Sam. Petitus,
sed evolve tu vel hunc vel quemvis alium legum Grae-
carum commentatorem, nullam hujus legis nec volam
nec vestigium unquam reperieris. Ipsum quoque SCtum
multo quam vult Alexander esse recentius, ex iis quae iam se-
quuntur poterit intelligi.

VI.

Evidem quo anno in specie Senatusconsultum nostrum
fuerit conditom satis non constat, desunt enim Consules,
qui de eo retulerint ad Senatum. Hoc interim certum est
sub Imperatoribus illud fuisse factum. Sub libera enim
Republica Senatusconsulta nulla siebant: Vid HVRIS.
digress.

digress. L. I. C. III. SCHVB. de fatis Iurispr. exerc.
 3. HEINECC. Antiq. Rom. L. I. T. II. §. 46. seq. Potestatem enim leges condendi populus Senatui nunquam concesserat, sub imperatoribus autem recte dicit VLPIANVS in l. 9. D. d. LL. senatum ius facere posse, quod in statu libertatis secus erat. Deprehendimus quidem apud Dionysium quaedam vetustissimorum Senatusconsultorum temporibus liberae Reipub. conditorum adhuc vestigia. Conf. GEORG. VAN DER MVELEN Hist. de orig. iur. Eiusmodi tamen SCra vim legis non habebant, sed erant magis ordinationes et decreta solum Senatum et causas publicas concernentes. Legum autem ferendarum potestatem Senatus non habebat, potius alia quaedam erant negotia, quae populus Romanus curae Senatus commiserat, et de quibus SCta ista siebant. Vid. BACHOV. in πρώτοις p. 38. Ad ea pertinent deliberationes de bello et pace, legationes, indictio feriarum, aerarium, conuocatio populi, et id igitur alia, ut docet POLYBIUS Hist. VI. 12. seq. Desuper SCta haec non habebant vim perpetuam, ac nostrum SCtum, sed annua tantum erant, vid. IOH. A COSTA in Comment. ad Inst. Tit. d. I. N. G. et C. Annuum tantum erat officium Consulum et Senatorum, ultra tempus vero officii sui Magistratum decreta apud Romanos non durabant, sicut exemplo sunt edicta praetorum, quae initio non erant nisi annua, usque dum sub Hadriano in edictum perpetuum collecta vim perpetuam nasciscerentur.

VII.

Porro et hoc nullum habet dubium, quod SCtum Macedonianum statim sub Imperatoribus seculi primi fuerit factum, non tantum quod sub vltiorum temporum Imperatoribus rariora fuerint SCta. Conf. GYPHAN. Comment. ad Tit. I. d. I. N. G. et C. §. 5. imo sub Iustiniano arg. l. 5. c. d.

C. d. LL. et Leone philosopho *Nou. Leon.* 78. prorsus sublata; sed quod potissimum SCti Macedoniani mentionem iam faciat *IVLIANVS* in *l. 14. et 19. D. ad SCt. Mace*d. cuius aetas ad tempora Hadriani, et sic seculi secundi initium se refert. *Vid. b. R V T I L. vit. ICtorum C. LXVI. §. I. IOH. BERTRAND. de Iurisperitis L. I. C. I. §. 8. GRAVIN. Orig. Iur. Ciu. L. I. c. 86.*

VIII.

Demum sub Vespasiano in specie Senatusconsultum hoc factum fuisse admodum probabile est, per ea quae habet s v ETONIUS in vita *Vespas. C. XI.* Ibi auctor inquit senatui fuit decernendi, ut quae se seruo alieno iunxisset ancilla habetur, neue filiorum familias foeneratoribus exigendi crediti ius unquam esset, b. e. ne post patrum quidem mortem. Auctor igitur Senatusconsulti Maced. Vespasianus fuit. Quamuis enim Senatusconsulta nomine Senatus conderentur, quod huic Imperatores imperium suum dissimulantes concederant, solebant tamen Principes in Senatu praemittere orationes suas, quibus, quale consultum fieri volebant, Senatui indicabant. Orationem a qua recedere Senatus non audebat, sequebatur SCtum ipsum, quod ab oratione non differebat, hincque est quod Principum orationes et SCta in iure nostro promiscue accipientur, ita vt quod uno loco SCto adscribitur, alio item orationi Principis vindicetur. BRISSON. *Antiq. Rom. L. I. C. 16.* Igitur sicut in libera Republica qui legem suaderent, eius auctores fieri dicebantur, ita eadem appellatio Imperatoribus quoque tribuitur ad quorum orationem SCta fuerant facta, hocque sensu Vespasianus quoque Macedoniani SCti auctor hic dicitur Suetonio.

IX.

Nomen atque originem SCtum nostrum nactum fuisse a Macedone, res satis nota est. Quis autem fuerit Macedo iste,

iste, in eo non omnes satis conueniunt. THEOPHILVS
ad §. 7. §. Quod cum eo. Macedonem hunc fuisse autumat
adolescentem, qui, cum in potestate patris esset, grande aes
alienum conflarebat, sperans futurum, ut mortuo patre suo
facile id dissolueret, cum autem multum temporis transiisse
et grauisque ei et molestus esse cepisset creditor debitum re-
petens, Macedonem, quum non haberet unde redderet,
patrem suum occidisse. Relatam rem esse ad Senatum, et
illum quidem poenas dedisse, sui parricidii, verum SCtum
factum fuisse quod Macedonianum vocatur. Enimvero fidem
nullam meretur haec Theophili fabula haud dubie in ipsius
nata cerebro, cum fundamento omni penitus destituatur.
Alii igitur Macedonem potius auctorem huius SCti fuisse ar-
bitrantur. Verum, licet alias ut ab auctore suo nomen et
iam fortiantur SCta, non sit infrequens, nostri tamen SCti
auctorem non fuisse Macedonem quendam, sed Caesarem
Vespasianum, ex Suetonio modo deditum probatum *spho-*
antec. Potius igitur Maceo fuit iniquus foenerator, qui
inter caeteras sceleris causas etiam hanc adhibebat, ut filiis fam.
incertis nominibus crederet, et ita materiam peccandi iis sup-
peditaret, quo ipso SCto nostro ansam dedit, ut ipsa indi-
cant verba SCti in l. 1. pr. D. b. t. Plura de hoc Macedone
non constant. Meminit quidem cuiusdam Largii Macedonis
ELIN. Epist. 14. L. III. qui fuit vir praetorius, superbus
dominus et saeuus, a seruis suis in balneo necatus, de quo
ita scribit ad Acilium: *Rem atrocem nec tantum epistola di-*
gnam, Largius Maceo vir praetorius a seruis suis passus
est: superbus alioqui dominus et saeuus, et qui seruisse patrem
suum parum immo minimum meminisset. Lauabatur in villa
Formiana: repente eum serui circumfistunt: aliis fauces inua-
dit, aliis os verberat, aliis pectus et ventrem atque etiam
(foedum dictu) verenda contundit: et quum exanimem puta-
rent,

rent, abjiciunt in feruens paumentum, ut experirentur an viueret. Ille siue quia non sentiebat, siue quia se non sentire simulabat, immobilis et extensus fidem peractae mortis impleuit. Tum demum quasi aestu solutus effertur. Excipiunt serui fideliores: concubinae cum ululatu et clamore concurrunt. Ita et vocibus excitatus et recreatus loci frigore sublatis oculis agi totoque corpore viuere se (et iam tutum erat) confiteratur. Diffugiunt serui: quorum magna pars comprehensa est, caeteri requiruntur. Ipse paucis diebus aegre refocillatus, non sine ultiomis solatio decepsit, ita viuus vindicatus, ut occisi solent. Et deinceps sub finem epistolae pergit. Addam quod opportune de eodem Macedone succurrit. Quum in publico Romae lauaretur, notabilis atque etiam, ut exitus docuit, ominosa res accidit. Eques Romanus a seruo eius ut transitum daret manu leuiter admonitus, conuertit se, nec seruum a quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam grauiter palma percussit, ut pene concideret. Ita balneum illi, quasi per gradus quosdam primum contumeliae locus, deinde exitii fuit. Reperio quoque Modestium Macedonem in lapide apud Gruterum p. 741. Inscript. 2.

D. T. SECV. O. M
 N.... LIS. SECUNDINI. SECURI. ET PUBLIAE PA-
 CATAE. CONIVGI. SECUNDI. AVENTINI. ET. ISAC-
 CIO. MODESTO. ET. MODESTIO. MACEDONI. FILIO ET
 IUST.... SECUNDINVS. PARENTIBVS. DEFUNCTIS. ET
 VIVITAE. EPE.... ERVNT

et C. Modestium Macedonem in epigrammat. Romanis apud Mazoch p. 89.

D. M. S.

MACEDO HAVE BENE VALEAS
 QVIS QVIS ES FECER
 C. MODESTIVS MACEDO PATRI

PIIS.

IAM ANTE SCTVM MACEDON. INVALIDO.

11

PIISSIMO

ET

FORTVNATA CONIVGI
CVRANTE RVFINO COLLIBER
TO FELICI L. AESCHINO
L. THIM. L. M. HELNIO FELICI
L. ANTIGONE L. CRAERONI
L. DOXAE. L. HOC MONVMEN.
ROSCIAE THAIDIS EST.

An vero horum aliquis fuerit noster hic Macedo, aut saltim ejusdem cum nostro familiae, alii videant.

X.

Igitur, ut reuertamur e diuerticulo, sub Vespasiano SCtum Macedonianum factum esse modo vidimus ex Suetonio §. 8. Sed quid faciemus hic CORNEL. TACITO qui Annal. L. XI. C. 13. SCtum hoc ad Claudium videtur referre, quando ita de hoc scribit: *Antea lege lata saeuitiam creditorum coercuerat, ne in mortem parentum pecunias filiis-familiarum foenori darent.* Sunt qui legem Claudiam per licentiam temporum oblitteratam, forte aevo Neronis, quo corruptissimi fuerunt Romanorum mores, a Vespasiano postmodum per SCtum nostrum iterum restitutum fuisse autu-
mant, vid. SCHVLTING. *Jurisprud. Ante-Just.* p. 278.
GRAVIN. *Orig. Jur. L. III. C. 49.* NOODT. ad *Dig. Tit. ad SCtum Macedonianum.* TORRETINVS in *notis ad Sueton.*
IVST. LIPS. ad Tacit. Neque enim infrequens esse ajunt, vt jura illis quoque tanquam auctoribus adscribantur, qui ea desuetudine abolita restituerint ut exemplis illustrat BRVM-
MER ad Leg. Cinc. Sunt qui ita conciliant Tacitum atque Suetonium, ut imperante quidem Claudio SCtum nostrum factum fuisse dicant, ast Vitellio et Vespasiano Consulibus. Vespasianum enim sub Claudio Consulatum gessisse probant ex Suetonio in vita Vespasiani C. 4. Claudio igitur ut

B 2

Prin-

Principi, Vespasiano vero tanquam Consuli SCtum hoc recte tribui dicunt. Vid. ANTON. FABER *Semestr. L. I. C. vlt.* HEINECC. *Antiq. Rom. L. IV. Tit. 7. §. 7. not. d.* Sunt denique qui Suetonium hic erroris cuiusdam arguere malunt, Senatusque consultum non sub Vespasiano sed Claudio factum fuisse contendunt. Sed nullis ex his calculum nos adjicere possumus, potius aliis fuit sensus legis Claudiae, alia SCti sub Vespasiano facti sententia, illa pecuniam filiisfam. in mortem patris datam, hoc mutuum incertis datum nominibus respiciebat, quae duo mirum quantum inter se erant diuersa, ut infra ex §. 19. pluribus apparebit.

XI.

Legis quoque Laetoriae jam dudum ante Vespasianum et Claudium latae mentionem facit CICERO *de off. L. III. c. 15.* nec non *Cod. Theodos. in l. 2. lib. VIII. Tit. XII. de donat.* qua circumscriptio adolescentum vindicabatur, ac interdicebatur ne ob pecuniam minoribus 25. annis creditam ius diceatur. Est haec lex antiquissima et eam jam PLAVTUS intellexisse videtur, per Legem *Quinam vicennariam*, quando in *Pseudolo Act. I. Scen. 3. v. 68.* Callidorum adolescentem ita facit loquentem:

*Perii, an non tum lex me perdit Quinauicennaria
Metuunt credere omnes.*

Verum cum ista lex non de filiisfam. sed de minoribus 25. annis agat, adeoque a sententia nostri SCti prorsus aliena sit, merito hic eam praetermittimus. Plura interim de ea legi possunt apud GRAVIN. *de Orig. Jur. Civ. L. III. C. 35.* HOTTONANN. *ELEM. Jur. Civ. p. m. 478.* BRISSON. *Antiq. Rom. L. III. C. II.* SCHILFER. *exercit. ad Dig. XXVII. §. 62.* IAC. GOTHOFRED. *in commentar. ad cit. leg. 2. Cod. Theod. de Donat.*

XII.

XII.

Magis ad nos pertinere videtur locus Ciceronis *in orat. pro M. Coelio.* Nam quod aes alienum obiectum est, sumtus reprehensi, tabulae flagitatae, videte quam pauca respondeam: Tabulas qui in patris potestate est nullas conficit, versuram nunquam omnino fecit ullam. Accusatus erat M. Coelius, quod a Clodio aurum mutuum sumserit, et ne id reddere cogeretur, ei venenum parauerit, duo igitur negabat hic Cicero 1) Coelium aurum mutuum non sumfisse, 2) Venenum Clodion non parasse. Ad prius inquit videte quam pauca respondeam. Scil. vix merebatur responsionem quod Coelius ne facere quidem poterat, *tabulas qui in patris potestate est nullas conficit.* h. e. filius fam. mutuum non accipit. Est enim tabulas conficere nil aliud quam mutuum accipere, vt ad hunc locum recte notat Gothofredus. Fiebat namque mutui et nominum obligatio apud Romanos plerumque per tabulas vid. H V B E R. et H O T T O M A N N V S ad tit. *Inst. de litterar. oblig.* scil. debita sua seu nomina creditor in tabulas accepti et expensi inscribebat, idque praesente debitore, qui et idem in tabulas suas referebat, quae tabulae in iudicio debiti plenam faciebant fidem. Vid. C I C . pro Q. Roscio. Quae cum ita sint, filium fam. iam Ciceronis aeuo non valide accepisse mutuum ex loco isto docemur. Quidquid? idem iam de suis temporibus dicere videtur T E R E N T I V S in *Phorm.* Act. II. Scen. I. v. 70. Ibi enim Geta seruus sene increpante quod non potius filio mutuam pecuniam foenore sumfisset ad dotandam Phaedriam, vt haec alium quaerere potuisset virum, respondet:

*Hui! dixi pulchre, si quidem quisquam crederet
Te viuo.*

B 3

Effent

Essent forte et plura alia eiusdem argumenti loca, sed poterit iam ex his satis constare, filiumf. iam dudum ante Vespasianum et Claudium non valide accepisse mutuum.

XIII.

Sed quomodo haec conciliabimus cum dictis *Spbi* 8. Docuimus ibidem ex Suetonio, auctore Vespasiano SCtum Macedonianum fuisse conditum, §pho praeced. vero ostendimus, iam dudum ante Vespasianum filiumfam. non valide accepisse mutuum: An igitur forsitan cum Alexandro ab Alessandro, SCtum hoc ipsis XII. Tab. fere coetaneum, postmodum a Vespasiano tantum repetitum fuisse dicemus? Minime Gentium. Fefellisse hic coniecturam virum de caetero celeberrimum, eiusque narrationem fidem apud eruditos naetam non fuisse praecedentibus §phis dictum est. Quid ergo? Dicam quod res est: Mutuum filiifam. non demum per SCtum Macedonianum fuit reprobatum, sed iam ante per ipsas XII. Tab. et forte ante illas iure communi et ordinario fuit inualidum, atque hoc ipsum est, ad quod respiciunt Cicero et Terentius cit. locis, quod miror viros eruditos nondum animaduertisse.

XIV.

Iure scilicet Romano omnimoda potestas competitbat patri in liberorum non solum personas, sed et res atque bona, ita ut quicquid liberi acquirerent pleno iure cederet parentibus, ipsi vero liberi bona propria omnino haberebant nulla. Deditse hanc potestatem parentibus iam antiquissimis temporibus primum Romanorum legistorem Romulum, auctor nobis est DIONYSIUS HALICARNASS. L. II. Antiq. Rom. C. 27. his verbis: Romanorum autem legislator (Romulus) omnem ut breuiter dicam potestatem patri dedit in liberos, idque toto vitae tempore siue in carcerem detrudere, siue flagris cedere, siue vinculum ablegare ad rustica opera, siue

ne necare libeat. etc. Per omnimodam hanc potestatem non tantum intelligit ius in liberorum personas, de quo in specie in subsequentibus hic agit, sed omnem quoque potestatem in liberorum bona, hanc enim quoque parentibus iam olim datam fuisse idem tradit L. VIII. vbi ostendit Sp. Cassium non a patre suo vi patriae potestatis, sed a Magistratu fuisse enecatum, eum enim tempore supplicii sub patris potestate non fuisse, exinde coniicit, quod aedes eius essent dirutae et bona publicata. *Quod si inquit vi patriae potestatis iudex simul et accusator punitorque fuisse, sicque Sp. Cassius in potestate patris adhuc extitisset, nec domus eius esset diruta, nec bona publicata,* additque: *Apud Romanos enim filiis nullae sunt possessiones propriae, sed licet patribus et pecuniis filiorum et corporibus facere quod libet.* Conditis postea XII. Tab. legibus haec quoque potestas patri seruata, plenissimumque ius in personam liberorum et bona ipsi tributum fuit, cuius rei iterum testis nobis est DIONYSIVS cit. L. II. Antiq. Rom. c. 28. Postquam enim prolixius demonstrasset, a Romulo datam fuisse in liberos patri potestatem omnimodam, (quam etiam ius plenarium in bona liberorum complexum fuisse, vidimus modo ex libro Dionysii VIII.) deum addit: *Hanc legem primi illi reges obseruabant, incertum scriptamne an sine scripto proditam, habentes pro omnium optima.* Post sublatam enim Monarchiam, cum primum visum est Romanis patrias consuetudines legesque omnes una cum ascitiis in foro proponere vniuersis ciuiibus, ne ius publicum mutaretur, cum potestate Magistratum Decemviri, qui a populo acceperant potestatem colligendarum legum et conscribendarum, hanc quoque retulerunt inter caeteras, extatque in XII. Tabularum ut vocant, quarta, quas tunc in foro proposuere.

XV.

XV.

Obtinuit haec plenaria in bona liberorum potestas subsequentibus etiam temporibus, immo hodiecum adhuc obtinet, licet introducta postmodum ab Imperatoribus peculiorum diuersitate pedetentim fuerit restricta et valde limitata. Est interim ex hoc parentum iure indeque dependente per liberos acquirendi potestate, quod pater atque filius quasi pro vna persona reputentur, *l. fin. C. d. Impub. et alien. subst.* Quod filius possit stipulari patri, *§. 4. l. de Inutil. stip.* Quod pater liberorum nomine absque mandato vel rati cautione in causis pecuniariis in iudicio agere possit, *l. i. D. d. Bon. Mat.* filius autem nomine proprio agere non possit, *l. 18. §. 1. D. d. Iud.* Quod nec sis nec obligatio esse possit patrem inter er filium, *l. 14. et 11. D. d. Iud.* Quod pater cum filio pacisci non possit *§. 6. d. inutil. stipul. l. 2. D. d. contrah. vend.* Quod ne donare quidem possit pater filiis in sua potestate constitutis, *l. i. §. 1. D. pro donato.* quod pater liberis suis pupillariter substituendo possit scribere testamentum, in casum, si in impubertate dececerint, *pr. I. d. Pupill. subst. l. i. D. d. vulg. et Pupill. subst.* Quod filius fam. durante patria potestate testari non possint. *Pr. I. Quibus non est permis. facere testamentum:* ne quidem patre consentiente, *l. 6. pr. D. qui test. fac. poss.* Filius fam. enim nihil suum habet, vt testari de eo possit, vt recte ait **V L P I A N V S** *Tit. XX. §. 10.* et id genus alia.

XVI.

Eadem igitur ratio quoque prohibet, ne filius fam. durante patris potestate cum extraneo contrahere, aut ex tali contractu obligari valide possit, cum enim filius fam. iam iure veteri et *LL. XII. Tab.* omnis omnino dominii esset incapax, et omne quicquid acquireret eederet patri, siveque nihil haberet proprii, de quo obligatus soluere possit, hinc a filio fam.

fam. contracta obligatio iam olim erat inefficax, ex ea enim non ipse filius poterat conueniri, aequo minus ac forte ex suo contractu seruus, bona enim non habebat de quibus solueret; nec ex huius persona eius pater, hic enim ex contractu filiorum qui potestati suae subsunt non tenetur, nisi vel peculiotenus, si ipsis dederit peculium, t. t. D. *Quando de pecul. act. annal. est*, aut de in rem verso, si ex contractu isto locupletior sit factus. t. t. D. d. *in rem verso*, aut denique actione quod iussu, si ipse filium fam. contrahere jusserrit t. t. D. *quod jussu*. Quemadmodum igitur hac ratione omnis regulariter contractus filiifam. ita et in specie mutuum ab eo contractum, cuius dies durante adhuc patria potestate venit, jam olim inefficax erat, et nomen haud exigibile. Et si vel maxime etiam praetermissò statuto solutionis termino creditor exactionem in illud tempus differret, quo patre v. c. mortuo patria potestas ipsi non amplius obstaret, obstabat tamen regula Catoniana, propter quam quod ab initio (h. e. in ipso termino solutioni praefixo) erat inualidum et vitiosum, tractu temporis conualescere haud poterat. l. 29. D. d. R. I. Ex his igitur cunctis satis ut puto euincitur, id quod erat propositum, scil. fundamentum prohibitionis, ne filius fam. durante patria potestate valide accipiat mutuum, non demum a SCto Macedoniano, sed jam inde a XII. Tabularum vel primis Romuli et successorum legibus esse repetendum.

XVII.

Inquis: quid opus igitur fuit SCto Maced. quid lege Claudia, si jam ante Vespasianum et Claudium per jus commune et ipsas LL. XII. Tab. mutuum a filio fam. contractum subsistere haud potuit? Varia haberem quibus difficultatibus hisce explicare me possem, regererem forte, jura communia diuturnitate temporum oblitterata a Vespasiano tantum per SCtum nostrum restituta fuisse; sed non opus est, vt ad subsidiarias

C

diarias

diarias configiamus hypotheses, quae probabilitate nulla adjuuantur, potius, si ego coniectura quid assèqui valeo, res ita se habet: Erant Romae varii generis foeneratores, qui pecunias luxuriosis adolescentibus sub grauissimis usuris subministrabant, vtque tali mutuo contra legum sententiam valorem conciliarent, variis efficiebant fraudibus. Fuit talis inter alios Fusidius, cuius meminit HORATIVS Sermon. L.I. Satyr. II. vers. 12.

*Fusidius vappae famam timet ac nebulonis,
Diues agris, diues positis in foenore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.
Nomina sectatur modo sumpta ueste virili,
Sub patribus duris tironum maxime, quis non
Juppiter exclamat, simulatque audiuit? - -*

Talis etiam fortassis fuit Scaptius et Matinius, de quibus CICERO L. V. ad Attic. Epist. 21. nec non Coelius Plotius apud VALERIUM MAXIMVM L. 6. C. 1. qui Titum Veturium adolescentem debitorem suum ad stuprum seruilibus verberibus cogere tentabat, quemque SCto Macedoniano causam dedisse autumat ALEXANDER AB ALEXANDRO Gen. Dier. L. I. C. VII. Huiusmodi ergo foeneratores inter alia et hac in fraudem legis vtebantur fallacia, vt non in diem qui cadere posset in tempus patriae potestatis, pecunias crederent, sed demum post patris mortem mutuum reddendum a filiis fam. sibi stipularentur, quo ipso elidebant prohibitionem legum, cauendo, ne terminus solutionis caderet in diem quo creditor adhuc esset sub patria potestate, sed in illud tempus quo patria potestate solutus et obligationis esset capax, et bona haberet, de quibus solueret.

XVIII.

XVIII.

Ad coercendas igitur foeneratorum pessimas hasce fraudes, lata fuisse videtur lex sub Claudio *ne in mortem parentum pecunias filiis fam. foenori darent*, vt ait TACITVS *Annal. L. XI. C. 13.* Ergo hunc vnicet casum respiciebat lex ista Claudi: si quis in mortem parentum filio mutuam dederit pecuniam, manifesto indicio mutuum non in patris mortem datum, sed in diem, qui incidebat in tempus patriae potestatis, jam ante legem Claudi jure communi et ordinario fuisse inualidum.

XIX.

Sed nec haec Diui Claudi Sanctio sufficere videbatur, ad refrenandam perditissimorum hominum nequitiam, potius iniqui foeneratores et horum potissimum antesignanus Macedo, nouas legis iterum quaerebant fraudes. Elidebant enim legem Claudi tum variis modis (ita enim interpretantur communiter verba SCti nostri *ne quid amplius dicetur*) ad quas injustas foeneratorum fallacias inter alia pertinuisse videtur species *legis 8. C. Si cert. pet.* Item *l. 16. C. d. vsur.* porro *l. 44. D. eod. denique l. 15. C. d. vsur.* tum etiam hac praeprimis cautela, vt incertis nominibus filiis fam. pecunias crederent h. e. in terminum solutionis incertum, in hunc enim sensum accipio verba ista SCti *incertis nominibus* v. c. vt mutuum exigibile sit quoconque die creditori petere illud placuerit, hoc ipso enim euitabant et prohibitionem juris communis, non enim petebant patre viuo, sed protrahebant exactiōnem usque ad tempus mortis paternae; et sententiam legis Claudiæ, non enim expresse in patris mortem, sed incertis nominibus, seu in incertum solutionis terminum pecunias credebant.

C 2

XX.

XX.

Noui verba ista: *incertis nominibus crederet*, in SCto nostro longe aliter vulgo accipi ac quidem a me fuerunt interpretata. Pierisque incertis nominibus credere hoc loco idem est, ac suppressa causa mutui celatoque titulo crediti, tacito foenore dare, per pactum incertum h. e. quod in certam et in iure determinatam pactorum speciem non incidit. PARAEVS in *Lexico Critico*. CVIAC. ad tit. C. d. SCto Macedon. et parat. Dig. eod. GRAVIN. Orig. Jur. Civil. L. III. C. 69. p. m. 379. Enimvero si hic esset verborum istorum sensus, vereor ne parum profecerit suo hoc commento noster Macedo. Pactum quod ad certam speciem jure ciuili determinatam non pertinet, pactum est nudum, quod erat inefficax actionemque de jure ciuili non producebat. Tale igitur cum jam ipso jure communi nullum esset, causam nostro SCto non videtur dedisce. Alii igitur per nomina incerta, mala nomina hic intelligunt, i. e. talia, quibus non tuto poterat credi, et qualia quaerebant foeneratores improbi, ut propter magnum quod subirent periculum, solito maiores a debitoribus acciperent usuras, qualia nomina inter alia fuisse dicuntur, filiorum fam. GERH. NOODT ad tit. Dig. ad SCt. Maced. p. 337. HEINECC. Antiq. Rom. L. IV. T. VII. §. 8. Attamen nec hanc interpretationem admittere videtur contextus nostri SCti. Ad scelera enim Macedonis refertur, quod incertis crediderit nominibus, jam vero malis credere nominibus, scelus non est, nec contra praecpta justitiae, sed saltim prudentiae regulas. Datum dicitur nostrum SCtum contra creditores incertorum nominum, jam cero malis et periculosis nominibus credere non prohibet SCtum Macedonianum, sed efficit potius, ut quae antehac bona fuerant nomina filiorum fam. expectata patris morte, jam

jam mala fiant et impedita, et vt nullum amplius possit filii-fam. bonum nomen expectata patris morte fieri.

XXI.

Per nomina igitur incerta, vt iam §. 19. exposui, malo hic intelligere nomina in diem incertum data, vt petere ea liceret a creditoribus qua ipsi vellent die. Talia nomina offerebat quondam Avianus Ciceroni, vt ipse refert C I C E R. epist. ad fam. 23. lib. VIII. Accepi Auiani litteras: in quibus hoc erat liberalissimum, nomina se facturum cum venisset, qua ego vellem die. Talia igitur quaesiuisse etiam videatur Macedo, cum suis commilitonibus, ad circumueniendam tam juris communis, quam legis Claudio sententiam.

XXII.

Atque haec turpis foeneratorum improbitas coagit dum Senatum Romanum, vt sub imperio Vespasiani generliter omne omnino ius et potestatem mutuum a filiofam. contractum repetendi creditoribus adimeret, licet non expresse in mortem parentum, sed incertis tantum nominibus pecuniam credidissent, vt omnino nulla vnquam actio petitioque foeneratoribus daretur, nulliusque possit filiifam. bonum nomen ne expectata quidem patris morte fieri. Iuuabit ipsa vidisse SCti verba, quae seruauit nobis V L P I A N V S in l. I. D. ad Sct. Maced. Cum inter caeteras sceleris causas Macedo quas illi natura administrabat, etiam aes alienum adhibuisse, et saepe materiam peccandi malis moribus praefstaret, qui pecuniam (ne quid amplius diceretur) h. e. vt de reliquis fraudibus, quas ad palliandum filiorum mutuum quaerebat legi Claudio, jam non dicamus, incertis nominibus, h. e. in terminum solutionis incertum et indeterminatum, quem in illud tempus quo pater mortuus et debitor sui juris factus protrahere poterat, crederet, placere: Hoc Verbo Senatusconsultum indigitari recte obseruat B R I S S O N.

C 3

de

de form. L. II. p. 149. BVDAEVS annot. ad Pand. p. 136.
ne cui qui filiofam. mutuam pecuniam dedisset, etiam post mor-
tem parentis ejus cuius in potestate fuisset, actio petitioque da-
retur, vt scirent qui pessimo exemplo foenerarent nullius posse
filiifam. bonum nomen expectata patris morte fieri.

XXIII.

Atque ex his cunctis satis ut puto perspicuum est, aliam
longe fuisse rationem juris communis et legum XII. Tab.
aliam prohibitionem legis Claudiae, aliam denique SCti Ma-
cedoniani sententiam. Iure communi mutuum a filiofam.
acceptum, cuius dies venerat durante patria potestate, inua-
lidum erat. Lege Claudia cauebatur, ne mutuum a filiofam.
in mortem patris contractum exigi possit. Denique Sena-
tusconsultum Macedonianum generaliter prohibebat, ne vl-
lum vñquam mutuum filiofam. incertis licet nominibus datum,
expectata etiam patris morte bonum esset nomen et exigibile.

XXIV.

Antequam hinc discedam, non inutiliter subiiciam ad-
huc quaestioneum ex iis quae praemissa sunt facile iudicandam:
SCtum Macedonianum an sit priuilegium parentum, an ve-
ro liberorum? Sunt quidem haud pauci qui priorem ample-
ctuntur sententiam, existimando Senatusconsultum hoc vni-
ce factum fuisse in fauorem parentum. Enim vero rem acu-
hi tetigisse non videntur. Viuo enim patre SCtum nullius
est effectus; sed demum post patris mortem omnem vim et
efficaciam suam fortitur. Scilicet hunc solum casum: si fi-
lius mortuo patre ab ejus potestate liberatus, a Creditoribus
suis conueniatur, SCtum Macedonianum respicit, vt ex iis,
quae hactenus dicta sunt, satis perspicuum est. E contra ve-
ro ipse pater vltiori legum prouidentia aut Senatusconsul-
to hoc non indigebat, quippe qui jure communi et ordina-
rio satis jam esset tutus. Quemadmodum enim hic ex nullo

con-

contractu, ita nec in specie ex mutuo filii sui obligabatur, nisi vel ex jussu, vel de in rem verso, vel denique peculio-tenus. Vid. *supr. §. 16.* Nec forte metuendum erat patri, ne filius a creditoribus suis conuentus vitae ipsius insidias struat, parricidio forsan inuenturus unde aes alienum dissolueret. Nescio enim quae ratio persuaserit ICTos, ut hunc-
ce metum causam dedisse SCto Maced. vulgo existiment. Va-nus esset iste metus, namque filius fam. viuo patre et patria potestate durante ex debito suo conueniri omnino nequit, certe olim vbi qui in patris potestate erat bona omnino nulla habebat, nec habere poterat, indeque obligationis prorsus non erat capax, confer *supra §. 16.* Potius quae ratio moue-rit Senatum, non rectius quam ex ipso SCto nostro poterit intel-
ligi: ne scil. iniqui foeneratores pecuniam foenebrem submini-strando luxuriosis adolescentibus, materiam ipsis peccandi suppeditarent, et ne filii patre aliquando mortuo, totam suam haereditatem aere alieno et immodicis usuris obruti, credito-ribus cedere teneantur.

XXV.

Atque haec est, Erudite Lector. nostra de Senatus-consulto Macedoniano eiusque sententia probabilis opinio. Probabilitas enim est, non veritas certa, quodsi ergo melio-
res cui succurrerint meditationes, non refragabor. Expo-
sui coniecturas nostras, qui melius conjecterit is optimus va-
tes esto.



VT VARIA DISPVTANDI COPIA SVB-
MINISTRETVR LVBET SEQVENTIA ADDERE

E II I M E T P A.

I.

Senatusconsulto Macedoniano etiam Principum filii recte viuntur.

II.

*Filius fam. etiam absque patris consensu peculiarem oeconomiam ri-
te instituit atque sic e patris sui potestate exit.*

III.

*Qui succedit auo, repudiata tamen patris hereditate, aes alienum
patris soluere non tenetur.*

IV.

*Cui per sententiam rotae poena dictata est, ejus cadaver Judex post
executionem rotae etiam imponere debet, licet eius in sententia nulla
expresse facta fuerit mentio.*

V.

*Tutores omnes hodie sunt daturi. Postquam enim per R. I. d. a.
1548. Tit. XXXI. et d. a. 1577. tit. XXXII. omnes tutores sunt con-
firmandi, nulla amplius inter testamentarios legitimos et datus su-
perest differentia.*

VI.

*Si quis in literis cambialibus solutionem in loco praestare, promise-
rit, in quo ius cambiale non obtinet v. c. Aller Orten wo ich anzutref-
fen auch da sonst das Wechsel-Recht nicht stat hat, contra hunc istis in
locis secundum rigorem cambiale procedi non potest.*

VII.

*Qui fidejussit in litteris cambialibus pro debitore cambiali nomen
suum subscribendo praemissa v. g. hac formula: Obige Post verspre-
che zu bezahlen, wenn der Schuldner manquiert, adversus eum cam-
bialiter procedi nequit. Scil. de iure communi, secus est in Saxonia,
vbi contrarium expresse sancitum in Append. Ordinationis processua-
lis reuise. §. 18.*

VIII.

*Cambium indossari potest tertio, licet vel maxime clausulam oder Or-
dre, oder Commiss non contineat.*



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn894298720/phys_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn894298720/phys_0031)


DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn894298720/phys_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn894298720/phys_0032)

DFG





illudque adhibitis iustis, ac necessariis solenni-
tatore, aut nuncupando, aut scribendo sit fir-
Ex hac enim, testatoris accidente approbatione
ori schedula, et valor et probatio ultimae vo-
pendit. 2)

S. P. FARINACIVS Opp. Crim. P. V. qu. 150. n. 214.
HOL. a SALYCETO ad L. 2. Cod. de his qui sibi adscrib.
LANDER TARTAGNVS L. III. Conf. 50. n. 1. 2.
ICHARDVS ad Cod. l. 22. de testam. n. 4.

pondere ICti Vittebergenses, referente III. BERGERO
nom. Iuris L. II. Tit. IV. th. 30. n. 7. et Ienenses apud
CERVVM Resp. 120. n. 21.

§. LIV.

rum haec omnia qui expedierit, agnoscat SC.
m, dignum fuisse prudentia et grauitate Am-
nis. Sed Edictum Claudi, quod poenam L.
adiecit, durum nimis, crudumque, occasionem
Iureconsulti lubenter responderent casum non
ad SCtum, aut Senatus, siue Princeps veniam
ile darent. Quo ipso caput hoc antiqui Iuris
implicatum. Itaque idem illud passim legibus
ibus veluti de nouo digestum, ordinatumque legi-
TONIVS PEREZIVS *) citat Edictum
am A. 16II. emissum, quo inter alia prohibentur
s, Parochi, et omnes coram quibus testamenta funt,
ut coniunctis intra quartum cognationis gradum,
testamentis adscribere, itaue adscriptum capere.
nis laudem meretur consilium, quod elucet in no-
ne, qua visum fuit in Electoratu Saxoniae dubios
hoc argumento dirimere. Illam, cum hoc dis-
ciostrae praecipue dederit occasionem, integrum
ere, eaque, veluti gemma, dissertationem no-
stram